





To D. n. 8.

Fr. 3. num. 18

2

4

DISSERTATIO IVRIDICA
DE

FRUCTIBVS IN ALIE-
NUM PRAEDIVM PRO-
PENDENTIBVS

P. 179

Dom
Überhang der Früchte/
QVAM

DIVINA FAVENTE GRATIA
PRAESIDE

DN. HENRICO HILDEBRANDO ICT.
SERENISS. DVVIS PALATINO-SOLISBAC.
NEC NON PERILLVSTR. REIP. NOR. CONSIL.
ATQVE ANTECESSORE PRIMAR.
ET PROF. SEN.

DOMINO PATRONO AC PRAECEPTORE SVO
EA QVA PAR EST ANIMI SVBMISSIONE
AETERNVM DEVENERANDO
PATRIA IN BERYTHO NORICORVM

H. L. Q. C.
ERVDITORVM VENTILATIONI
A. S. R. MDCCXXVII. AD D. XXX. APR.
SVBMITTET

KONFRIED
UNIVERS.
ZVHALLE

BALTHASAR SEBASTIANVS MVNKER
NORIMBERGENSIS.

ALTORFI NORIC.

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESH ACAD. TYPOGR.



101

Handwritten scribbles and marks at the top of the page.

ERV CTIRV IN ALLE
M... M... M...
P... P... P...

...
...
...
...
...

111

...
...
...
...
...

...
...
...

...
...
...
...

...
...
...
...





B. C. D.

EXERCITII ACADEMICI
DE FRUCTIBVS IN ALIENVM
PRAEDIVM PROPENDENTIBVS

CIRCA DEFINIT. ET DIVISION. ALIAQ. OCCVPATI
CAPIT. I.

REPRÆSENTATIO SVMMARIA.

- I. De Fructuum varia derivatione & significatione agit.
- II. Fructuum diversas divisiones indicat.
- III. Sub fructibus pendentibus omnes, in præmissa horum partitione indigitatos a nobis, intelligi arguit.
- IV. Supponit prædium alienum, ut in istud fructus propendeant.
- V. Describitur ius, fructus in alicuium propendentes acquirendi.
- VI. Monet rationem legislatoris, circa fructus propendentes in alienum, impulsivam non modo umbram, sed & aliam causam extitisse.
- VII. Causa efficiens proxima huius iuris adducitur, nempe voluntas tam expressa, quam tacita legislatoris, quandoque pactis modificata.
- VIII. Cum primis ostendit L. XII. tabb. olim domino arboris nullum fuisse tempus certum, fructus in alienum delapsos colligendi, præfinitum, sed duntaxat determinatione tridui postea constitutum in L. un. D. de Gland. leg.
- IX. Monet L. un. D. de Gland. leg. capiendam duntaxat esse de glande decidua; & heic simul L. 14. §. 3. D. de Præscr. verb. cum L. 8. §. 1. D. ad Exhibend. conciliatur.

I.

Discussuris nobis thema, academici exercitii causa ventilandum, DE FRUCTIBVS scilicet PROPENDENTIBVS IN ALIENVM PRAEDIVM, convenit ante omnia & appellationem considerare, & variam fructuum partitionem.

A 2

Prio-

Priorem quod attinet, fructus a fruendo dicuntur, quod videlicet rebus eiusmodi, quas fundus fert, fruamur, secundum Donell. *in Tr. de Fructib. cap. 1.* vel a ferendo, quod fructus ferantur. Tholosan. *in Syntagm. Iur. univ. lib. XLII. cap. XX. n. 27.* Accipiuntur latissime pro omni emolumento & commodo, ex quacunque re percipiendo; quo in significata adductum fructus vocabulum, non ea tantum, quae natura producit, indigitat, sed & illa, quae iure propter rem aliquam, vel occasione eiusdem capiuntur, denotat, exempli loco sunt usurae. *L. 88. §. fin. D. ad L. Falcid. L. 62. D. de Rei vindic. nec non pensiones, mercedes, vecturae iumentorum, operae servorum. L. 19. D. de Usur. & fruct. L. 3. & seq. D. de Oper. serv. L. 55. D. de Condict. indeb.* Ast late & proprie per fructus intelliguntur illae rerum utilitates, quas natura hominum gratia producit. *L. 28. §. 1. D. de Usur. & fruct.* & sub hac denotatione comprehenduntur omnia, quae terra gignuntur. Quorum extant duae species, altera frugum sub appellatione venit, nimirum quae minutas significat fruges, id est, quae arista continentur & siliqua. *L. Frugem. 77. D. de V. S.* illarum vero altera generis sui nomen retinet, & quicquid praeterea ex terra natum, ad hominum alimentum pertinet, complectitur, ut vinum, oleum, arborum baccae. *L. 48. D. de Usufr. L. 78. §. 3. & L. 80. §. 2. D. de Contr. emt. L. 40. §. 4. D. eod.* Denique stricte, sub nomine fructuum, arborum denotantur fructus, vulgo Baum-Früchte / ut pyra, poma, nuces, ficus. *L. 236. §. 1. de V. S. L. 205. eod. & L. 80. §. 2. D. de Contr. emt. vend.* quo in sensu, generali nomine, glandes salutantur. *L. un. §. 1. D. de Gland. leg.* In praesentia autem, sub propendentium fructuum voce,

voce, intelligimus fructus terra gignitos, exclusa acceptione fructuum propter rem, vel occasione rei percipiendorum, qui non sunt nostrae tractationis, quum de his non possit depraedicari, quod in alienum pendeant fundum. Quare nobis fructus singuli singulis & convenientibus appellationibus fuerunt distinguendi. arg. §. 5. *I. quib. mod. test. infirm.*

II.

Fructus nostrae tractationis e solo producti, sunt vel naturales, vel industriales. Illi, sic dicti, quia sola natura, hominis opera parum, vel nihil cooperante, eiusque vi & beneficio principaliter proveniunt, ut poma, pyra, nuces, glandes. *L. 40. §. 4. D. de Contrah. emt. & vend. L. 45. D. de Usur. & fruct.* item ficus, ac uvae duracinae ac purpureae, quas non vini causa habemus. *L. 205. D. de V. s. & omnes alii fructus, ex arboribus nascentes. Alciat. & Rebuff. ad cit. L. 205. de V. s.* Hi industriales autem sunt, qui principaliter requirunt diligentiam, culturam hominis, quae nisi continuo interveniat, natura nihil operatur. *L. 48. in pr. D. de Acquir. rer. dom. §. 35. I. de Rer. divis. L. 45. D. de Usur.* ut sunt vinum, oleum, frumentum. Illuc etiam spectat eiusque uvae, quae inter dulcia recensentur, & vini causa habentur. arg. cit. *L. 205. de V. s.* atque a comestibilibus differunt. *L. ult. D. de Tritic. & vin. legat.* Vtrique hi fructus & naturales & industriales, sunt iterum vel pendentes, arboribus terraeve cohaerentes. *L. 44. de Rei vindic. L. 61. §. 8. D. de furt.* qui & pars fundi censentur. *L. 45. de Contrah. emt.* atque stantes vocantur. *L. 7. §. Interdum. D. solut. matrim.* hique fructus porro sunt vel maturi, vel immaturi.

maturi. *L. fin. §. pen. D. de his, quae in fraud. credit.* qui posteriores nihilominus fructuum appellationem retinent. *L. 48. §. fin. & L. pen. D. de Vsufr.* His pendentibus opponuntur percepti, sive a solo vel arbore iam separati, & cum re vel corpore, unde provenerunt, haud amplius connexi. *§. Is vero. I. de R. D. & L. 28. de Rei vindic.* licet nondum in custodiam delati: nam percipi fructum spica, aut foeno caeso, aut uva ademta, aut excussa olea, aut pomis, pyris, nucibus, &c. decussis, Labeo ait, teste Paulo in *L. si Vsufructuarius. 13. D. quibus mod. ususfr. amitt.* collectis licet, sed nondum in aedes nostras asportatis. Alii sunt decidui sive caduci, ut nuces, ficus, pyra, poma, & cum & sine hominis facto tales; alii non decidui sive non caduci, ut uvae. *L. 7. §. Notavimus. D. quod vi aut clam. & L. 8. de Servit.* Iul. Caes. Ruginell. *de Arbor. controvers. cap. 6. n. 4. in fin. & n. 5.* Denique sunt fructus nostri ratione situs vel hortorum. *L. 59. D. de Vsufr. L. 198. D. de V. S. vel campestrium arborum. L. 9. §. 7. D. eod. L. 205. D. de V. S. L. 7. §. 12. D. solut. matrim. vel sylvestrium arborum, sine facto hominis natarum. L. 10. D. de Vsufr.*

III.

Nos propendentium in alienum fructuum consideratione, hic a nobis examinanda, intelligimus sub hisce fructibus, vario modo divisis, omnes, & naturales & industriales fructus, pendentes & separatos, in fundo collectos. *L. 1. D. de Gland. leg. Reform. Nor. tit. 26. L. 14.* Ius Saxon. provinc. *lib. 2. art. 52. Weichbild. art. 126.* licet in domum vel custodiam translatos, maturos & immaturos, deciduos sive caducos,

ducos, vel non caducos. Schneidewin. ad §. 31. 1. de Rer. divis. Iul. Caes. Ruginell. de Arbor. controvers. cap. 6. n. 4. & seq. Carpzov. 1. P. Forens. part. 2. const. 35. def. 25. tametsi enim dominus arboris vitisque, fructus propendentes ipse decerpserit, tamen vicini ius quaesitum in hos ipsos, non potest ita intervertere, ut non amplius vicino horum fructuum nomine, sua legalia & legitima remedia contra ipsum movenda exercendaque competere adhuc valeant, quemadmodum infra latius a nobis demonstrabitur: nam textus de fructibus propendentibus loquentes indefinite & generaliter disponunt, ergo etiam generalem & indefinitam applicationem ad quoscunque fructus, supra a nobis recensitos, nanciscuntur. arg. L. 13. D. de LL. & L. 17. & 18. D. eod.

IV.

Nec minus porro circa fructus nostros supponimus quoque hoc, ut in alienum solum vel praedium pendeant; sed per alienum praedium capimus istud, quod non est in nostris bonis, aut in proprietate vicini, quo in significato alienum praedium denominatur in L. 1. & 2. D. de arborib. caedend. ut & in §. 31. l. de R. D. prope fin. in verbis: *Ideo prope confinium arbor posita, si etiam in vicini fundum radices egerit.* iunge §. 32. l. eod. nec non L. 8. D. de Servitut. in verbis: *ut pomum decerpere liceat, & ut spatari, & ut coenare in alieno possimus.* imo etiam, si rami arboris vicini in nostrum fundum propendeant, perinde etiam in alienum propendere dicuntur, per L. 2. D. de Arb. caedend. in verbis: *Si arbor ex vicini fundo vento inclinata in tuum fundum sit.* & in L. un. pr. D. de Gland. leg. ibi: *Glandem, quae ex illius*
 agro

agro in tuum cadat. ubique enim praedium alienum est, in quod fructus arboris prope confinium positae pendet, sive enim ex arbore in nostro solo posita impendeant in praedium vicini, sive ex arbore in vicini solo posita propendeant in fundum nostrum, & eo casu fructus in ramis super alienum extensis pendentes, etiam in alienum praedium impendere constat. *L. 1. pr. D. de Arb. caed.* ubi Ulpianus hisce verbis utitur: *Ait Praetor, quae arbor ex aedibus meis in aedes illius propendet.* & porro in §. 7. cit. *L. quae arbor ex agro tuo in agrum illius impendet.* conf. Reform. Nor. A. 1479. in lucem edita, sed postea emendata, *tit. 26. l. 14.* So jemand Bäume auf seine selbst Grunden hat / die da mit ihren Aesten auf seines Nachbarn Grund reichen oder hangen. concordat Ius Saxon. provinc. *lib. 2. art. 52.* & Weichbild. *art. 126.* ut & Ius Bohemicum *part. 3. tit. 23.* Schneidewin. ad §. 32. *1. de R. D. Iul. Caes. Ruginell. de Arbor. controu. cap. 4.* Stryk. in *V. M. ad tit. D. de Gland. leg.* ibique Hahn. ad Wesenb. nec non Zoefius.

VI.

Ius, quod vicino circa fructus propendentes quaesitum, sequentem in modum describendum venit; quod sit facultas iure, vel scripto, vel non scripto, domino vicini praedii quaesita, fructus in istud impendentes vel collapsos, in totum, vel pro parte, prouti iura loci, vel etiam pactiones initae determinarunt, sibi appropriandi, & remediis iuris convenientibus eosdem prosequendi. *§. si Titius alienam. 31. de R. D. L. 19. pr. D. Communi divid. L. 8. D. de Acquir. rer. dom.* Ius Sax. provinc. *lib. 2. art. 52.* Weichbild. *art. 125. seqq.* Wo auch ein Baum breitet die Zweige in eines andern

andern Mannes Hof / der Herz mag sie wohl weghauen/
wann er will / und hanget Obst in seinen Hof / das ist
zu recht sein. & Glossa in dict. artic. 52. Iur. Saxon.
Schüttelst du dein Obst / was in deines Nachbarn Hof
fällt / das bleibet sein. Suo modo idem tradunt ius
Veteris Reform. Nor. de A. 1479. tit. 26. lib. 14. ibi:
Und so aber solche Bäume fruchtbar / und der Nachbar
solche auf ihn hangende Neste gedulden wollte / so ist der
Herz des Baums desselben seinem Nachbarn den halben
Theil der Früchte der überhangenden Neste davon folgen
zu lassen schuldig. & Ius Bohemicum cap. 31. tit. 23.
Aber ein Baum auf dem Felde / oder in einem Baum-
Garten / welcher schadet und Schatten gibt / soll auf der
Seite / da er schadet / beschneidet werden / es wäre dann/
daß der Nachbar sich mit dem Obst / so von den Nesten
auf seine Seite hangende abfiel / wollte bezahlen und
begnügen lassen. Quod & moribus plerorumque
locorum obtinere ait Hopp. ad §. 31. I. de R. D. in Vsu
moderno, ut & Stryk. in Vsu mod. tit. D. de Gland. leg.
idem de moribus Belgicis & aliorum locorum rece-
ptum adstruit Groenewegen. ad L. 1. D. de Gland. leg.
ubi memorat, quod Mechliniae & Antvverpiae pro-
pendentium fructuum semissis vicino cedat; nec non
Melonius in Thes. Iur. lib. 43. tit. 5. hoc adducit: Es ist
heutiges Tages fast Land-gebräuchlich / daß solche über-
fallende Früchte beyderseits halb getheilet werden / da-
mit der andere Theil einiges Schadens sich nicht zu be-
klagen habe. Carpzov. I. P. F. part. 3. const. 32. def. 25.
& Schilter. ad I. §. 31. Titius in Observat. ad Lauterb.
Compend. lib. XXI. tit. 1. observat. 120. per eos.

VI.

Ratio movens Legislatorem, ut arborum rami, in alienum impendentes, vel amputentur atque circumcidantur, vel fructus in iisdem propendentes in alienum praedium, huius praedii proprietario volenti, & ramos arborum toleranti, in compensationem sui damni relinquuntur, nulla alia censetur, quam umbra arboris propendentis, vicino praedio nocitura. *L. 1. §. 8. D. de Arb. caed. in verbis: Quod ait Praetor, & Lex XII. Tabb. efficere voluit, ut quindecim pedes altius rami arboris circumcidantur, & hoc idcirco effectum est, ne umbra arboris vicino praedio noceret.* cui convenientia habent antiquata Reform. Nor. de A. 1479. tit. 26. l. 14. & Ius Bohem. c. 31. §. 23. Haec umbra alia maior, alia minor est. *Plin. Lib. 17. cap. 14. ibi: Quia omnium fere levis umbra. & paulo infra: Omnium, quae proiecta frondis ita diffunduntur, ut per ipsas non defluant imbres.* Hinc ait *Salicet. in L. 1. C. de Interdict. num. 6. vers. Sed iuxta hoc quaero. Agris & frugibus terrae umbra nocet, cum solem auferat & avertat, a quo vegetantur cuncta; non autem noceant frondes aut flores cadentes, quae terrae favorabiles sunt & impinguativae, atque ideo sufficit vitium umbrae expurgari per excisionem usque ad XV. pedes.* De nucis noxia umbra hoc tradit *Plinius lib. 17. cap. 12. circa princ. Iam quidem umbrarum proprietas: Juglandium gravis & noxia etiam capiti humano, omnibusque iuxta satis, necat germina & pinus. & paucis interiectis pergit: Juglandium quidem, pinorumque, & picearum, & abietis, & quaecumque attingere, non dubie venenum est.* Ex quibuscunque ramis & foliis umbra insurgit, nocet fructibus, haecque non potest non impedire maturitatem fructuum, secundum istud *Virgilii 11. Georgic.*

Dum

Dum fortes late ramos & brachia tendens

Huc illuc media ipsa ingentem sustinet umbram.

& paulo post:

& ingenti ramorum protegat umbra.

Quales umbrae, ut impedimento sint frugibus, quo minus maturescere valeant, ipse Virgilius testatur in *Eclog. 10.*

nocent frugibus umbrae.

Quantumvis in citata supra *L. 1. §. 8. D. de Arb. caed.* allegati iuris ratio introductiva umbra perhibeatur esse; potest tamen & alia ratio, praeter adductam umbram, quandoque subintelligi, in casu nempe arboris ad maceriem sive prope confinium ita positae, ut simul in vicini fundum radices agat, scilicet consecutio naturalis alimenti, ex fundo vicino provenientis. *L. 26. §. Arbor. D. de acquir. rer. dom.* ut nimirum in compensationem huius nutrimenti, arbori ex vicino fundo obvenientis, vel huius arboris caedere ramos, vel ex iisdem fructus sibi attribuere vicino liceat; tametsi enim prior ratio generalior, & ipsi huic negotio ac rei magis accommodanda existimetur, tamen nec alteram eidem penitus contrariam esse, vel ideo censendum est, quod, prouti unius rei plures possunt esse fines & rationes, ita etiam praesentis iuris sive Legislationis, circa arbores & fructus earum propendentes acquirendos, occupatae ac sollicitae, plures rationes, ansam huic suppeditantes, non sunt negandae, quas in ordine causae impulsivae vel ideo iuvat nosse, quia & ratio non minus iudicem movere debet, quam lex, in definienda causa eiusdemque decisione; siquidem, ubi lex non adest, ratio naturalis tamen, ceu tacita quaedam lex subvertatur,

satur, inquit Ictus Paulus *L. Cum ratio. 7. D. de Bon. damnat.* Quamobrem parum fidei habemus regulae in *L. Non omnium. 20. D. de LL. tradita*: licet enim ibidem dicatur, quod non omnium, quae a maioribus constituta, possit reddi ratio, id tamen capiendum putamus de eadem ratione, praecise numero tali unica, quae tempore constitutionis solum in mente legislatoris agitata fuit: cum utique talis ratio cuiuscunque iuris & legis dari possit ex nostro iudicio, quae probabilis putatur, & constituentibus conveniens fuit habita, tametsi praecise non numero eadem fuerit, quam fortean in actu promulgatae constitutionis suae Legislator solam respiciebat; sicuti enim plures unius rei, ita quoque constitutionis unius plures rationes nomothetam moventes potuerunt eo tempore subfuisse, eundem impellentes, ut vel hoc vel istud sanciret atque ordinaret.

VII.

Ius circa arbores & fructus in alienum propendentes efficitur voluntate Legislatoris aequae expressae, ac tacita eiusque conniventia longo ulu inducta, quod illam attinet, de ea extat *L. 1. D. de Gland. leg.* ubi Praetor ita constituit circa fructus propendentes: *Glandem, quae ex illius agro in tuum cadat, quo minus illi tertio quoque die legere, auferre liceat, vim fieri veto.* Vbi per glandem, utut alias proprie fructus ex quercu arguat, generali huius appellatione omnes fructus comprehenduntur. *L. 236. §. 1. D. de V. S.* fortean in memoriam prisca victus mortalium, qui glandibus, (i. e. fructibus quercus,) olim vescebantur, secundum Ausonium:

Olim

*Olim communis pecoris cibus atque homini glans,
Ante quidem campis quam spinea suppeteret frux.*

& Ovidium, in *Fastis* aientem :

*Prima Ceres, homine ad meliora alimenta vocato,
Mutavit glandes utiliore cibo.*

Hos fructus in alienum non modo propendentes, sed & collapsos, ventoque deiectos, domino arboris illius, cuius rami in alienum praedium impendent, intra triduum colligendos ita adpropriat, ut intra tertium adhuc diem, nondum elapsum, possit fundum vicini intrare, & fructus ibi de sua arbore repertos colligere atque auferre; quod si dominus fundi huic collecturo resistat, vel tollentem suos fructus impediatur, praesenti interdicto a domino arboris propulsari potest, licet in aliis casibus dominus fundi contra suam voluntatem & prohibitionem ingredientem, aucupii aut piscationis gratia, prohibendi, atque iniuriarum actione adeo eundem conveniendi, facultate polleat. *L. 16. D. de Servit. rust. praed. L. 13. §. fin. D. de iniur.* Id quod vel circa fructus deciduos & caducos tollendos cessat, partim ob patientiam vicini: si enim hic ramos meae arboris in suum fundum propendentes usque ad xv. pedes altius circumcidendi neglexit, utique mihi, eiusdem quasi ex facto patientiae & non usu sui iuris, potestas quaesita putatur, fructus meos eo cadentes intra triduum adhuc legendi & auferendi, idque & iure soli, quo fructus arboris, in eodem positae, mihi deberi censentur, licet in alienum collapsi. *L. un. D. de Gland. leg. & L. 1. §. 8. D. de Arb. caed.* partim vero ob exemplum heic extans singularis frugalitatis veterum & parsimoniae, ex iudicio Brunnemanni ad cit. *L. un. n. 3.* etiam circa rem minimam, fructus de-

lapsos nempe in alienum ex arbore nostra, iniustitiae speciei vitandae causa, colligendi. Hinc in vulgus notum & tritum proverbium istud abiit, quod rem vilem indicare gestientes huius tituli rubrum idcirco allegare soleant: ac sit res quaedam, ubi duntaxat agitur de glande legenda, id est, nihili, vel parum aestimandi. Quam adeo minima ac levis quaestio circa fructus collapsos ex arbore censeatur atque putetur, Leges tamen, sicuti alias quoque rei minimae, ceu id factum in *L. 16. D. de Rer. Div. & L. 21. D. de furt. & L. 44. pr. de Acquir. rer. dom. nec non pr. 1. de Vi bon. rapt. rationem habuerunt, actiones de iisdem concedentes; ita & in praesentia de istis fructibus similia domino dederunt iuris remedia, ut hisce non modo colligenti in collectione & ablatione fructuum impedito & prohibito, praesenti interdicto de Glande legenda subveniendum esse fas aequumque duxerint. Lauterb. in *Colleg. theor. pract. tit. eod.* & Titius in *Observat. ratiocin. in Compend.* Lauterb. *Observ. 1103. tit. D. de Arbor. caed. & de Gland. leg.* sed & adeo alias actiones petitorias, infra speciatim & prolixius indigittandas, eidem de istis fructibus vel ablatis, vel submotis & consumptis, praestiterint. *L. 14. §. 3. D. de praescript. verb. L. 9. §. 1. D. ad exhibend.* Sed quale interdictum istud memoratum sit, an adipiscendae possessionis, an vero retinendae? disputant interpretes. Adipiscendae illud esse defendunt Cuiacius in *Paratit. ad cit. tit.* & Pacius *eod.* nec non Echold. *§. 1. ibid.* quibus contradicit Schvvendendörffer. in *Notis ad Echoldum*, recuperandae illud interdictum esse affirmans, eo, quod sit de fructibus arborum propriarum caducis. *L. un. pr. D. eod. L. 9. §. 1. D. ad exhibend.* sicque non potuerit*

tuerit non actor eorundem fructuum habuisse possessionem, eamque casu amissam censi, & hoc interdicto iterum recuperari. Verum enim vero, cum domino fundi iura suos fructus colligendi intra tres dies facultatem concessere, & Praetor dominum horum, in possessione civili & exercitio dominii eodem legendi & tollendi, haud turbandum vetuerit, exinde istud retinendae potius possessionis interdictum autumamus. Lauterb. in *Colleg. theor. pract. de Gland. leg. §. 2.* Titius in *Obs. ratiocin. ad Lauterb. Comp. observ. 103. tit. de Arb. caed. & Gland. leg.* tametsi hoc interdicto usurus domino fundi damni infecti nomine cavere debeat. *L. 9. §. 1. D. ad exhibend.* Petr. Müller. ad Struv. *sub tit. cod.* nam omnia interdicta prohibitoria, quale & praefens est, retinendae possessionis esse, vel saltem ex *§. 1. I. de Interdict.* plus satis innotescere existimamus. Hinc actor necessum non habet, ut probet arborem suam esse, sed se illam duntaxat possidere, prout in aliis interdictis id usu venit, secundum *L. 1. D. Vri possidet. & §. 4. I. de Interdict.*

VIII.

In Lege quidem XII. Tabb. cautum erat, ut glandem in alienum procidentem liceret colligere; sed Praetores huic Legi XII. Tabb. nullum tempus praefinitum legendi glandem in alieno delapsam prae se ferenti, addiderunt hisce verbis: *Tertio quoque die.* secundum *L. 1. D. de Gland. leg.* monente Rivalio, in *Histor. Iur. Civ. lib. 2. num. 10.* non aliam ob causam, quam ut immoderatam vicini molestamque cohiberent nimiam licentiam, qui singulis horis atque momentis, fundum vel aream vicini fructus colligendi causa,

causa, collapfos ingrederetur, & gramina illius perderet. Ex hac enim restrictione utrique parti satis provisum putabatur, ei nimirum, qui collecturus est fructus, ac alteri, cui fundus est proprius, in quem ceciderunt: putres enim omnes fructus, qui cadunt, intra triduum non fiunt, hinc pruna & id genus, ut & nuces, castaneae, amygdalae, putaminibus durioribus vestitae, tertio quoque die, hoc est, singulis quidem tribus diebus, semel duntaxat in horum spatio, commode colligi absque ullo fundi no- cumento possunt; alioquin superflua fuisset illa trium dierum definitio. *L. un. D. de Gland. leg.*, si quando- cunque ad vicini lubitum & arbitrium suscipi valeat fructuum collectio, quae ipsa nullo praefinito tem- pore Lege XII. Tabb. olim erat quidem permissa, sed deinde praesentium trium dierum spatio termi- nove inclusa atque cohibita, quae in *L. nostra un. D. de Gland. leg.* contenta restrictio utique suo effectu de- stitui haud debet. Hinc sensus genuinus praesentis textus utique iste censetur, ut ex singulis diebus tri- bus una duntaxat, & semel, liceat colligere in alie- num delapfos fructus; quam ob rem reliquae inter- pretationes variaequae declarationes, quae a Dd. ad- ducuntur circa verba illa: *Tertio quoque die.* non sine iuris ratione reprobantur; has inter primum locum ea obtinet, ut non tantum liceat primo & secundo die, sed & tertio quoque, fructus collapfos colligere. *L. 13. in fin. D. qui potior in pign. L. 1. §. Idem quaesitum. D. de Aqua quotid. & aest. ibi: Tertio quoque die.* ubi verbum QVOQUE coniunctio, & non nomen, putatur esse; altera autem est, ut ille, in cuius fundum glans ceci- dit, volens uti praescriptione bidui, hac non admit- tatur,

tatur, cum Praetor statuerit triduum; Nec minus tertia, ut exacto triduo, non liceat amplius colligere fructus maturos, vel vento deiectos; Quarta, qua volunt triduum praestitutum non ad glandem legendam, sed ad actionem intentandam, ita ut triduo a iudice absolvi debeat iudicium, ne, si hoc diutius differatur, glans putrescat; Quinta porro, ut, si glans corrumpatur una die, vel ultra tres dies, duret interdictum usque ad tempus corruptionis; Sexta est, ut accipiatur pro tertio quolibet die, cum non omnes fructus naturaliter intra triduum decidant, sed diutius, prout maturiores fiunt, & potestas esset legendi, & auferendi intra tres dies, connumerandos a tempore, quo primum glans cecidisset. Has videtis apud Iul. Caes. Ruginell. *de Arbor. controu. cap. 6. num. 4.* recensitas quidem, sed omnes menti sensuique *L. un. D. de Gland. leg.* haud convenientes, ceu rationibus & argumentis haud contemnendis id demonstravit & comprobavit laudatus modo Ruginellus: cum utique Praetoris mens fuerit, intra tertium diem solummodo facultatem fructus colligendi semel permittere, recte docentibus Wissenbach. *ad D. disp. 24. thes. 23.* & Brunnemann. *ad L. un. de Gland. leg. num. 2.* Post triduum vero, vel tertio die elapso, quia fructus delapsi plerumque putrescere solent, hi pro derelictis habentur, ceduntque domino fundi, in quem sunt delapsi. cit. *L. un. D. de Gland. leg.* Lauterb. *in Colleg. theor. pract. eod. tit. §. 2.* Stryk. *in Vsu mod. ad D. eod. tit.*

IX.

Porro de glande tantum caduca sive decidua no-
strae *L. un. D. de Gland. leg.* verba capi debent. *L. 14.*

C

§. fin.

§. fin. D. Praeser. verb. ibi : *Si glans vel fructus alii ex arbore tua in fundum meum cadant.* & L. 30. D. §. 4. de V. S. ubique enim adest vel verbum cadat, vel caduca, vel procidens, quod operam hominis excludit, atque ita decidui naturaliter debent esse fructus; secus vero est, si quis pertica, vel aliter deicere fructus in alieno velit, quia sic induceretur vicino servitus. L. 7. §. *Notavimus.* D. quod ut aut clam. & L. 8. D. de Servitut. ubi negat Paulus inponi posse servitutem, ut pomum decerpere liceat; quod quidem assertum Pauli de servitute praediali verum arbitramur, quin tamen ad utilitatem personae eiusmodi ius servitutis personalis, pomum decerpenti in alieno, constitui recte possit, de eo plane non ambigimus. Paul. Badius ad cit. L. *Pomum.* 8. D. de Servitut. ibique Brunneemann. & Vlr. Huber. in *Eunom. Roman.* ad cit. L. p. m. 362. si caducos quis tantum colligit singula tertia die, semel tantum, absque ullo fundi detrimento atque incommodo; ex hoc actu momentaneo nullum vicini fundi domino paratur servitutis praedialium, quia eiusmodi actibus momentaneis neutri tribuitur servitutis ius. Iason. L. 83. §. 5. D. de Verb. oblig. atque acquitati id habetur ubique consentaneum, dum domino arboris id permittitur, quod ipsi prodest, & domino fundi tamen haud nocet, per L. 2. §. 5. D. de Ag. & ag. pluv. Vnde hic eiusmodi propendentes fructus delapsos nullo modo debet perimere, nec etiam pecore suo immisso depascere, alioquin contra eundem datur actio. Sed quaenam actio haec sit? non immerito disquiritur, nam secundum Vlpianum quidem in L. 14. §. 3. D. Praescript. verb. datur domino fructuum in factum actio, ceu arguunt textus verba : *Si glans ex arbore tua*

in meum fundum cadat, eamque ego immisso pecore depascam: Aristo scribit: Non sibi occurrere legitimam actionem, qua experiri possim, nam neque ex L. XII. Tab. de pastu pecoris, quia non in tuo pascitur; neque de pauperie; neque de damno iniuriae agi posse: In factum itaque erit agendum. Verum enim vero illi suo asserto & textui aperte idem Vlpianus obloquitur in L. 9. §. 1. D. ad Exhibend. in quo textu fructuum in alienum delapforum proprietario actio ad exhibendum, ex sententia Pomponii ab Vlpiano accommodatur, in verbis: Glans ex arbore tua in fundum meum incidit, ego immisso pecore depasco, qua actione possunt teneri: Pomponius scribit competere actionem ad exhibendum. Si dolo malo pecus immisi, ut glandem comederet, idque cumprimis ex ratione a Iuliano in eadem lege adducta: quia ille, qui dolo fecit quo minus possideret, fictione iuris adhuc pro possessore habetur. L. 131. & L. 150. D. de Reg. iuris. & nemo se obligatione suo facto eximere potest. L. 91. §. 4. de Verb. obl. eo effectum, ut condemnari valeat, non quidem ad exhibendum, verum ad omne interesse iuramento in litem aestimandum. Sed ad hanc adductam contrarietatem diluendam utique sciendum est: Licet removeantur ex L. XII. Tab. de pastu pecoris, de pauperie, & Legis Aquiliae, principales actiones, attamen non aequè excluditur accessoria ad exhibendum actio, in casu doli, per quem unice fit locus actioni doli, sine quo alias neutiquam de re consumpta ad exhibendum agi potest. L. 9. §. 1. D. ad exhibend., sed in L. 14. §. fin. D. Praescript. verb. nulla fit mentio doli, sed immixtas puta sues ab ignorante glandes in suo fundo iacere, vel existimante dominum illas neglexisse, nec aegre laturum eas a sua pecude, alioquin corrumpendas,

confumi, sic vere ad exhibendum agi nequit, ergo unice in factum agendum fuit. Sed instanti, quid interest, in factum agatur, an ad exhibendum? repominus, quod utique in actione ad exhibendum interesse iureiurando in litem in infinitum aestimetur. *L. 3. §. 2. D. ad exhibend. L. 4. §. 2. de in litem iur.* quod de actione in factum proditum non est. *L. 7. C. ad exhibend. Vlr. Huber. in Eumom. Rom. ad lib. 10. t. 1. p. m. 441. n. 1. & seqq.*

CAPIT. II.

SPECIALIA CVM PRIMIS

DE FRVCTVVM PROPENDENTIVM ACQUISITIONE

TRADENTIS

SVCCINCTA PRAEFIGVRATIO.

- X. Tradit, quoniam fundamento acquisitionis fructuum in alienum propendentium nitatur.
- XI. Intimat, fructuum propendentium acquisitionem ex arbore communi, in confinio posita, communem quidem esse, sed non omnem radicem arboris extensionem communionem eiusmodi inducere; ubi textus, adversantes sibi, simul resolvuntur.
- XII. Exponit, quomodo fructus pendentes pro cuiusque fundi regione dispartiri debeant.
- XIII. Adducta iura ad alias fruges, sub arborum fructibus non comprehensas, haud applicanda esse deducit.
- XIV. Idem iuris obtinere circa fructus sylvae privatae propendentes edocet.
- XV. Evincitur, quod in casu, si alii domino ius venandi competat in sylva, alii autem ius Foresti, huic quoque fructus silvestres, in Bannum ferinum propendentes, iure optimo assignari.
- XVI. Anterioris asserti rationes adducuntur uberiores, & quod ius venandi, in alieno ad instar servitutis radicatam, equidem servitus non sit, sed ius plane distinctum, vel eximium, vel regale, ubi compendium sylvestrium simul adducitur, & pactis quoque & longaevo usu contrario horum acquisitionem alterari posse traditur.
- XVII. Declarat, sub generali concessione iuris faginandi, a Domino Territorii facta, contineri duntaxat die velle *Wass / & non die halbe*

- halbe oder Spreng-Mast/ multo corruptos, vel ablatos competentes.
 minus die Nach-Mast.
 XVIII. & XIX. Petitoria remedia XX. Possessoria remedia, ratione actionesque suppeditant circa fructus propendentes delapsos, vel horum fructuum quoque concessa, annectit.

X.

DEduximus hactenus ex iure civili, quousque proprietarius arboris, ius, fructus propendentes in alienum, acquirendi eo delapsos, retineat, nempe usque ad triduum, hoc ipso autem praeterito, praetermissoque, dominus confinis praedii iure dominii eosdem privative nanciscitur, tam ob incommodum umbrae, & suae indulgentiae, quod ramos in suum impendentes ex LL. permissu non amputaverit. *L. 1. §. 8. D. de Arbor. caed.* quam ob praesumptam derelictionis eorundem rationem, in dominum fructuum arboris inducendam, ex *L. un. D. de Gland. leg.* nec non ex non usu iuris intra triduum eosdem colligendi sibi quaesiti. Petr. Müller. ad Struv. *Exerc. 45. thes. 163. lit. γ.* Dispalescit hinc satis, ceu opinamur, quod iam tum olim de iure communi, hoc in casu adducto, in fructus vicini praedii propendentes delapsos, expressa legislatione, ius quoddam proprietatis huius fundi confinis dominus, in cuius solum sunt collapsi, sit consecutus, id quod non modo aliis iuribus scriptis particularibus & provincialibus, absque omni iuris reservatione, domino arboris ad triduum facta, ei, in cuius fundum fructus arboris propendent, sed & peculiari Germaniae consuetudine observantiaque concessum atque firmatum deprehendimus, sicuti constat cumprimis ex iure Saxonico, quod fructus ex ramis, in vicini fundum propendentibus decedentes, domino fundi & praedii attribuantur. *Land-R.*

olqi

C 3

lib. 2.

lib. 2. art. 52. & Weichbild. art. 126. in verbis: Wo auch ein Baum breitet die Zweige in eines Mannes Hof/ der Herz mag sie wol weghauen/wann er will/ und hanget Obst in seinen Hof/ das ist zu Recht sein. Vnde Glossa ad ius Sax. art. 52. lib. 2. ait: Schüttelst du dein Obst/ was in deines Nachbarn Hof fällt/ das bleibt sein. Cui concordat ius Bohemicum cap. 31. §. 23. Ein Baum/ so eines andern Gebäude oder Grund und Boden schadet/ soll abgehauen und ausgerottet werden: Aber ein Baum auf dem Felde/ oder in einem Baum-Garten/ welcher schadet und Schatten giebt/ soll auf der Seite/ da er schadet/ beschnitten werden: Es wäre dann/ daß der Nachbar sich mit dem Obst/ so von den Aesten auf seine Seite hangende abseie/ wolte behagen und begnügen lassen. Idem fere ordinatum in iure Prutenico §. 20. atque iure Norico, in prima Reform. de An. 1479. in lucem edita, tit. 26. art. 14. So jemand Bäume auf seinem selbst Grund hat/ die da mit ihren Aesten auf seines Nachbarn Grund reichen oder hangen/ &c. Und so aber ein solcher Baum fruchtbar/ und der Nachbar solche auf ihn hangende Aeste gedulden wolte/ so ist der Herz des Baums demselben seinem Nachbarn den halben Theil der Früchte der überhangenden Aeste davon folgen zu lassen schuldig. Tametsi in Reformatione recognita, & quinta eiusdem editione de An. 1522. textus ille, a nobis antea allegatus, ex tit. 26. plane sit, unà cum toto titulo 26. omissus, neque etiam in Editione sexta de An. 1564. nec in septima de An. 1595. inveniatur repetitus, exindeque istud ius Noricum, in hac fructuum propendentium materia supra allegatum, per posteriores eiusdem Editiones mutatum antiquatumque existimandum videatur; attamen eo ipso

ipso, fructuum in alienum propendentium acquisitionem non penitus abrogatam esse, vel ideo putamus: utut enim duntaxat fructuum propendentium divisioni inter dominum arboris & dominum fundi in antiquata prima Reform. Nor. sancitae, omissione tituli 26. in recentioris iuris Patrii editionibus, derogatum arbitremur; Nihilofecius omnimodam abrogationem acquisitionis fructuum propendentium, in confinia praedia delapsorum, vel ideo haud statui-
 mus, quia universali Germaniae usu & consuetudine propemodum invaluit, ut fructus propendentes, ex ramis decedentes, spectent ad dominum fundi illius, in quem ceciderunt, in compensationem damni ex umbra perpeffi, id quod dicitur vulgo *der Ueberhang*; Qualem etiam consuetudinem adhuc in Patria vigere, usus quotidianus arguit, utut proinde iure Norico scripto recentiori Reformationis, nihil de fructibus propendentibus amplius expresse cautum extet, non deficit tamen longaevus populi Norici, ac totius fere Germaniae usus, vim legis scriptae habens. §. 9. 1. de *I. N. G. & C. & L* 102. *D. de F. S. Schulz. in Synops. 1. de R. D. tit. 11.* Hahn. ad *Wesenb. tit. D. de Gland. leg. num. 3.* Carpzov. *Jurispr. forens. part. 2. constit. 35. def. 25.* Groeneveg. ad *L. 1. D. de Gland. leg. Schneidevvin. ad §. 31. I. de R. D. §. 5.* ibique Hoppius, nec non Titius in *Observ. ad Lauterb. Compend. observ. 120. ad tit. D. de Rer. dom.* & post hos omnes Hartmannus in *Notis ad Iul. Caes. Ruginell. de Arbor. controu. resolut. cap. 4. num. 6.* Quod ius Germaniae iuri Civili suo modo contrarium, ceu supra iam praeoccupavimus, ob non iniustam rationem, in compensationem scilicet incommodi & damni, quod ex arbore propendente, & potissimum

ex

ex eiusdem umbra, vicinus sentit atque patitur, invaluisse in aprico est, arg. *L. 10. D. de R. I. Hartmann. ad Ruginell. cit. loc. Titius in Observat. ad Lauterb. Comp. tit. de Acquir. rer. dom. observ. 120. in fin.*

XI.

Quod usque huc asseruimus de acquisitione fructuum propendentium, & collapsorum in fundum confinem, tam de iure civili, quam de iure hodierno, id ipsum duntaxat intelligi atque capi volumus de arbore in solo nostro unice radicata atque posita, non autem de arbore in confinio nata, & radices tam in nostrum fundum, quam in vicini praedium, agente: Si enim arbor in confinio ita extat, ut in utrumque fundum aequaliter radices suos agat, utique haec communis putatur, & fructus etiam ex aequo utrinque, nempe inter convicinos dominos, partiri debent. *L. Adeo. 7. §. fin. D. de Acquir. rer. dom. Schneidevvin. ad §. 31. I. de Rer. div. num. 3.* unde etiam fructuum nomine quilibet eorundem communi dividendo iudicio agere valet. *L. 13. D. Commun. divid. & L. 19. pr. D. eod.*, tamen si arbor in confinio nata & posita, quamdiu cohaeret fundo, istud in communi dividendo iudicium haud veniat, quia iam pro regione cuiusque praedii divisa est, nec ulla amplius divisione eget. *L. 8. pr. D. de Acquir. rer. dom. ibi: Pro regione cuiusque praedii.* quae verba pertinent ad complendum sensum & intellectum textus antecedentis *L. 7. §. fin. D. eiusd. tit.* Quod si autem arbor eruta vel succisa est, ita, ut terrae amplius non cohaereat, communis pro indiviso habetur, veniens in iudicium communi dividendo: nam quae erat definitis partibus

tibus fundi antea divisa, rursus confunditur post fuc-
 cisionem & exemptionem e fundo, ita ut quilibet
 condominus partem arboris actione comm. divid.
 vindicare teneatur. *L. 19. D. comm. divid.* cui textui ge-
 mina tradit Paulus in *L. 83. D. pro Soc.* dum ait: *Illud*
quaeritur &c. Nostro asserto, quo arborem in con-
 finio positam communem fieri adstruimus, valde
 adversari videtur Pomponius in *L. 6. D. Arb. furt. caes.*
 quando in §. 2. ibidem ait: *Si arbor in vicini fundum ra-*
dicibus porrexit, decidere eas vicino non licebit: agere autem
licebit, non esse ei ius, sicuti tignum aut proiectum immissum
habere. Si radicibus vicini arbor alitur, tamen eius
 est, in cuius fundo origo eius fuerit; cum tamen in
L. 7. §. fin. D. de Acq. rer. dom. ita decisum legamus, ut,
 si vicini arbor ita terram meam presserit, ut in meo
 fundo radices egerit, mea sit, ergo non communis
 esse potest. Sed ad huncce submovendum scrupu-
 lum sciendum est, *L. 6. §. ult. D. Arb. furt. caes.* non
 loqui de arbore, nec in ipso confinio, nec prope con-
 finium posita, sed de ea tantum, quae aliquatenus a
 confinio distat, & extimas modo radicum partes,
 seu tenues illarum vibras, in alterius fundum porre-
 xit: hoc ipsum tamen non efficit oppidò, quo mi-
 nus arbor maneat pristini domini, & eius, in cuius
 fundo originem suam habet; licitum tamen est ei,
 cuius fundum arboris eiusmodi, longius a confinio
 distantis, radices occupant, agere, ut auferantur,
 ne occasione arboris, praedio damnum emergat.
L. 1. C. de Interdict. hisce enim sublatis, suadet ratio,
 ut reliquum arboris remanere debeat domino fundi,
 in quo orta extat arbor. Secus autem iudicandum,
 si aliena arbor radices omnes, vel maximam earun-
 dem

dem partem in meum praedium egerit, ita, ut alimentum a solo fundi mei sumat; hoc in casu sine dubio arbor eiusmodi prope confinium posita unà cum fructibus in solidum mea erit, modo simul omnis ista arbor meam terram premat. *L. 7. D. §. fin. de acquir. rer. dom.* Quod si vero & in meo, & in vicino fundo, radices habeat, & tam meam, quam vicini, terram premat, unà cum fructibus propendentibus communis erit, secundum cit. *L. 7. §. fin. D. de acq. R. D.* ibi: *Si etiam in vicini fundum radices agat.* ex qua particula ampliativa, ETIAM, eo magis communis arguitur arboris & fructuum, iure domini & proprietatis, at non iure propensionis, *des Ueberhänge halber* / participatio. Hinc omnino diversum quid est, quando aliena arbor, radicibus suis omnibus meum fundum occupans, ex eodem alimonium unice capit, omnesque suos ramos propemodum in fundum meum propensos habet: Est enim aliud, si arbor utrumque fundum radicibus suis occupat, exindeque alimenta sumit, ramosque in utrumque fundum aequali fere modo proiicit; Nec non diversum & illud, si fundum meum arboris vicini, longius a confinio distantis, extimae saltem radicum partes & tenues vibrae tangunt, quas ideo hinc auferri volo, ne temporis tractu magis magisque accrescentes mihi noceant, de quo casu cum primis *L. 6. D. arb. furt. caes.* superius adductam capiendam esse autumo. Aliorum quoque Interpretum conciliationes adductas reiectasque videas apud Iul. Caes. Ruginell. *de Arb. controu. cap. 3. §. 10. & seqq.*

XII.

In modo praemissa thesi fecimus fructuum, in arbore communi, prope confinium, sive in confinio ipso, posita, pendentium & natorum, mentionem, & quod hi pro regione cuiusque praedii, quod arbor communis tangit, inter condominos veniant dispartendi iuxta *L. 8. pr. D. de acqu. rer. dom.* Quomodo autem ille textus, in verbis: *Pro cuiusvis praedii regione.* sit capiendus, heic uberius perpendere, non videtur extra rhombum nostrum esse: nam licet alioquin secundum radicationem, & huius latitudinem longitudinemque, sit de arboris proprietate communi alioquin iudicium ferendum, formandumque per *L. 7. §. fin. D. de Acquir. rer. dom.* cum tamen haec ipsa radicum expansio sit subterranea, & in occulto ita constituta, ut ad finiendas & determinandas regiones easdem vix attendere quis valeat; hinc potius coelum sive aërem superstantem, in determinatione huius communionis, sequi tenemur, & partem arboris ei coelo subiectam, quo arbor ramusculos suos porrigit, illius fieri existimare, cuius solo superstat: cum in iure pro regula habeatur; eius esse coelum, cuius est solum. *L. 21. §. 2. D. Quod vi aut clam. & L. ult. §. 4. D. eod.* Tametsi enim Paulus *ICTus* in *L. 83. D. pro soc.* id aliis verbis expresserit, inquiens: *Arborum in confinio natam, pro ea parte singulorum esse debere, pro qua parte in fundo fuerit.* & in *L. 19. D. commun. divid.* verba: *In confinio esse, & prope confinium.* eundem intellectum arguere videantur; nihilominus tamen illa verba: *Secundum aërem ipsum fundo superfusum.* omnino ita intelligenda sunt, ut partes proprietatis arboris in solo singulorum condominorum, de coelo perpendiculari demisso, secundum

dum expansiones arborum extremas, veniant limitandae; quae quidem limitatio, prout cuilibet est in promptu, ita etiam ad regionum quantitates inter se dignoscendas, geometrica arte & prudentia adhibita, facili negotio conducet, quemadmodum schema exhibitum a Iul. Caes. Ruginell. *de Arb. controver.* a Dn. Officiali Celsissimi Comitis Wolffsteinensis, Hartmanno, Amico nostro certo, *cap. 6. n. 42.* cuius ob oculos sistit. Quantumvis haec misera nimis videatur diligentia, atque laboriosa scrupulositas, in indaganda quantitate fructuum, pro cuiuseunque arboris communis condominio, ea tamen non videtur sine iuris ratione esse, tametsi hodie eiusmodi methodo, fructus arboris communis dispartiendi, vix utamur: cum potius eiusmodi arboris communis condomini tali quantitate fructuum collapforum, decussorumque ex eiusmodi arbore, contenti acquiescant, qualem in suo fundo, limitibus & terminis finalibus distincto, delapsam ex arbore deprehendunt. arg. *L. un. D. de Gland. leg.* Quo & ius Saxonicum *art. 52.* spectat. Schneidewin. *ad §. 31. I. de rer. divis. & acquir. rer. dom. n. 5.* nec non Titius *in not. ad Lauterb. eod. tit. obs. 120.*

XIII.

Sed num eadem, quae hucusque adducta extant de fructibus, ex arboribus in alienum propendentibus, sint etiam capienda de aliis fructibus ex nostro praedio in alienum propendentibus, id nunc dispiciendum venit? De fructibus vitis haec non est dubium, quin idem statuendum veniat, ac de aliis arborum fructibus, quia & vites arboris appellatione continentur. per *L. Vitem. 3. in princ. D. Arb. furt. caes.* imo
fecus

fecus non est iudicandum quoque de lupulo, super alterius aream & praedium propendente, tametsi enim ille, qui in suo fundo lupulum eiusque radices habet, sepem apprehendere, & lupulum attrahere, sibi que eundem appropriare possit; attamen quod ex altero latere de lupulo, qui vicini sepem apprehendit, remanet, ad vicinum pertinet: nam nec huius rami debent dependere in damnum vicini, huiusque praedium atque sepem occupare, quo respicit ius Saxonicum *lib. 2. art. 52.* in verbis: *Flucht sich der Hopfe um einen Zaun/ wer die Wurzel in dem Hofe hat/ der greiffe den Zaun/ und ziehe den Hopfen; was ihn folgt/ das ist sein: Was des aber an der andern Seite bleibt/ der ist seines Nachbarn. Seiner Baum Zweige sollen auch nicht hangen dem Nachbarn zum Schaden.* Tametsi etiam de globulo, in alterius praedium se porrigente, aliter iudicandum existimemus, hic si nec vicini fundi sepem, nec palos amplectitur: hoc enim non apparet, vicinus, in cuius praedium eiusmodi globulus coelum versus pendet, parum incommodi ex umbra globuli, duntaxat temporali & levi, sentit, unde nec compensationem damni, iura eidem fructus ramulorum; umbra sua parum nocentium, tribunt. arg. *L. 1. §. 8. D. de Arbor. caed.* siquidem globulus, perbrevis tali anni spatio, quo, antequam coelum versus crescendo ascendit, ramulis suis in praedium confine extensis & propendentibus, vel plane nullam, vel adeo exiguam levemque umbram causari valet, unde vicino haec momentanea & innocua umbra ad id vix conducit, ut proprietario plantae fructus idcirco auferre queat. arg. *l. un. D. de Gland. leg.* Quamobrem idem de reliquis fructibus fru-

menti cuiuscunque generis, ut tritici, hordei, olyrae, avenae, mili, panici, erysimi, alteriusque, quod arista in se continet, & spicas emittit, censendum esse arbitramur. *L. 77. ff. de V. S.* Licet enim horum frumentorum spicae, folia, culmi protendantur in confinia praedia, nec minus exinde quaedam levis & temporanea duntaxat umbra existat, frugibus tamen vicinorum est nocens, ita ut nec hic sibi in fructus aristarum & spicarum iuris eiusmodi quid, quod supra, circa fructus arborum propendentes vigere, asseruimus, vicinus vindicare valeat: cessante enim ratione legis, ne umbra arboris vicino praedio noceret, corrumpit quoque ipsa iuris dispositio, circa memoratas fruges in praedium confine propendentes. arg. *L. 1. §. deinde. D. de Arb. caed. in fin.* Iul. Caes. Ruginell. *de Arb. controu. cap. 4. §. 2. 4. & §. seqq.* Accedit porro haec ratio, quod in eiusmodi frugibus & frumentis umbra horum, levis in se, non sit perpetua, sed duntaxat durans tres vel quatuor menses per annum, ut dehinc non eodem modo in perpetuum fundo vicini nocere possit, ceu umbra arborum eidem noceat. Praeterea & multa praedia vicina habent spatium legitimum intermedium, nempe *Raugen und Raune* / live quinque pedum spatium, de quo in *L. fin. C. fin. regund.* & Schilter. *ad D. eod. tit. exercit. 20. thes. 46.* ut adeo frumenta agri vicini vix ultra huncce terminum v. pedum umbram suam transmittant, & si adeo transmitterent, frugum harum proprietarius, tamen in compensationem huius momentanei quasi incommodi, vicissim umbram ex aliorum agrorum atque fundorum frumentis, ibi satis atque sparsis, pati tenetur, quam ob causam iura, superius circa fructus in fundum

fundum vicinum propendentes tradita, eo minus propitia ratione ad eiusmodi frumentorum propendentium similem acquisitionem trahenda veniunt.

XIV.

Cum proinde ius, hanc ad thesin usque a nobis explicitum, respiciat fructus arborum duntaxat, non inconueniens erit, quid iuris circa fructus sylvestres sit observandum, nunc pariter monere. Hic secundum varios casus sylvestrium fructuum propendentium, acquisitio erit perpendenda. Si enim sylva aliqua est privati iuris, ad certam personam, vel universitatem aliquam, spectans, de qua Myler. ab Ehrenbach. *de Princ. & Stat. Imp. cap. 73. part. 3. §. 3.* quo etiam sylvae, quibuscum privatae conditionis vasalli sunt investiti, pertinent, quaeque sunt ita infeudatorum, ut dominus feudi ius foresti in eisdem exercendum non habeat, sane quin huiusmodi privatis possessoribus, ceu proprietariis, tam certis personis singulis, quam Communitatibus, atque memoratis beneficiatis vasallis, fructus sylvestres, als Eichen/ Bucheln/ Nüsse/ Castanien/ Holz-Äpfel und Birn/ alii- que id generis fructus acquirantur, nullum dubium nobis superesse videtur, ceu id ipsum peculiariter illustrat die *Bayrische Jagd- und Forst- Ordnung* / allegata a Fritschio *in Corpor. Iur. Venatorio- Forestal. part. 3. ubi art. 8.* ab ipso haecce verba adducuntur: Auf den gemeinen Hölzern / und eigenen Wief-Matern / soll denjenigen / den sie zugehören / und dessen von Alters her in Gebrauch gewesen / das Eichel-Possen / und Klauben / unabwehrt seyn : Doch / wo man an den gemeinen Hölzern die Eichen possen und klauben wolste / soll es damit

damit gehalten werden / was der mehrere Theil aus der
 Gemeinde / mit jedes Orts Obrigkeit Zuziehung schlies-
 sen wird / wie dann die Obrigkeit / was also von dem
 mehrern Theil geschlossen / ohne sonderbare Ursach nicht
 weigern / jedoch gute Obacht haben solle / daß man die
 Eichen / ehe sie recht zeitig / nicht pössen noch abschlagen
 lasse. *Faciunt quoque huc, quae tradit Sebast.
 Kreusser. ad d. art. 8. Const. forestal. Bavaric. post num. 3.*
 ut dehinc hisce sylvarum dominis, potestas deiicien-
 dae & decutiendae, colligendaeque glandis, tam in
 suae sylvae proprio fundo, quam in eorum praedium
 ex alieno propendentes, sit in dubium vocanda quam
 minime; in sylvis tamen communitatum hoc cum-
 primis attendendum occurrit, an eiusmodi sylva sit
 proprie res Vniversitatis, cuius usus ad singula uni-
 versitatis membra spectat? heic fructus sylvestres sin-
 gulis ex universitate membris, eadem dispartiendi ve-
 niunt; quod si vero sylva ad patrimonium ipsius com-
 munitatis refertur, cuius usus ad totam Vniversitatem,
 qua talem, pertinet, fructus sylvestres ab administra-
 toribus, Vniversitati praepositis, ad communem huius
 utilitatem percipiendi sunt. *Sebast. Kreusser. cit. l. n. 2.*
 & *Stryk. in Vsf. mod. ad tit. D. de Gland. leg. §. 2.* Fructus
 tamen ex sylva tam privata singulorum ac commu-
 nitatis, quam privati vafalli, in confinia praedia &
 fundos propendentes, sine dubio pro quantitate re-
 gionis domino praedii vicini acquiruntur, quousque
 nempe eiusmodi arbores sylvestres ex confini sylva,
 ramos suos in privatam praedium vicinorum porri-
 gunt, secundum supra a nobis adducta iura, adpli-
 canda ad acquisitionem fructuum propendentium.
arg. §. 40. l. de Rer. divis.

XV. Quod

XV.

Quod si vero contingat, ut alter sylvae quidem sit dominus, alter vero ius venandi in eadem sylva habeat exercendum, fructus sylvestres omninò spectant ad sylvae dominum, tametsi arbores in districtum venatorium & Bannum ferinum propendeant: sunt enim fructus pars arborum & sylvae emolumentum, ita, ut ius venandi formam atque naturam proprietatis, semel domino eiusdem quaesitae, mutare minime possit. Gail. *lib. 2. observ. 68.* Mindan. *de Process. cap. 41. num. 2.* Müller. *Practic. forens. resol. 120. num. 13.* Cothmann. *volum. 3. cons. 49. num. 110. & seqq.* Quam ob causam proprietarius sylvae fructus arborum iure decutiendi, aut, sua sponte decedentes, colligendi, vel ipse uti, vel aliis etiam concedere potest, cum ipsi competat non tantummodo facultas pascendi in sylva, mit dem Vieh im Forst zu hüten / sues immittendi tempore glandium, sive saginandi, die Schweine in das Eckericht zu schlagen / sed & ius glandes legendi vel non, Eicheln und wildes Obst zu lesen / zu verbiethen / aufzuthun / und Haselnuß brechen zu lassen. Neuenhan. *de iur. venand. conclus. 194.* Noë Maier. *vom Jagd- und Forst-Recht / part. 2. rubr. Ob die Eicheln / Frücht und ander wild Obst / so im Forst erwächst / dem Forst- oder Eigenthums-Herrn von Rechts wegen zustehe und gebühre.* Pruckmann. *Consil. 14. num. 176.* Neque vero attendendum hic erit, quod fera alantur ex fructibus arborum sylvestrium, & sint quasi accessio iuris venandi, ita, ut concessio uno, concessa intelligantur reliqua, sine quibus, tanquam adminiculis, illud consistere nequeat: sciendum enim est ad haecce omnia, regulam illam habere tantummodo locum

E in

in iis, sine quibus ius venandi concessum exerceri non potest, id quod hoc in casu minime sese exerit in fructibus sylvae, cum ferae etiam absque illis fructibus vivere, sustentarique possint: nam utique constat, quod venationes non raro iis in locis locupletentur, ubi nec ulla glans, nec ulli alii fructus sylvestres habentur. Petr. Frid. Mindan. *de Process. lib. 2. cap. 41. §. 2. & 3.* Praeterea fructus, antequam a domino sylvae colliguntur, non usui ferarum animalium penitus subtrahuntur, sed ex iisdem ante collectionem tantum conceditur, quantum hisce ferae vesci possunt; sed exinde non oppidò dominus sylvae & iuris foresti, stricte ita dicti, iurique venandi contradistincti, a proprietate & libera dispositione circa fructus sylvestres excluditur. Westenholz. *de Iurisd. forest. thes. 28.* unde etiam dominus sylvae pro lubitu suo utitur saginandi iure. Wehner. *Observ. pract. voce: Forst.* ibi: *Eicheln und wild Obst lesen und aufzuthan.* Myler. ab Ehrenbach. *de Princ. & Stat. Imp. part. 2. cap. 30. §. 6.* Tametsi plures sint iuris Interpretes, qui eosdem ad ius venandi referant, ob supra adductam rationem, quod fructus sint alimenta ferarum, & plerumque eiusmodi fructus in denen Jagd- und Forst-Ordnungen/ dehinc domino venationum, assignari soleant; attamen ad hoc evincendum nec ratio prior, ceu supra iam monuimus, nobis sufficiens, nec posterior satis concludens videtur: quamvis enim in Ordinationibus Banni ferini & Forestalibus ius glandium, iuri venandi annumeratum extet, per quod secundum Noë Maier. *part. 2. sub rubric. Ob die Eicheln / Früchte und ander wild Obst / so im Forst erwächst / dem Forst- oder Eigenthümer*

thumſ-Herzn von Rechts wegen zuſtehen und gebühren? rechte intelliguntur ſub vocabulo glandium: nicht nur Eicheln / ſondern auch Bucheln / Caſtanien / Nüſſe / wilde Aepffel und Birn / allerley Beere / und ſübrige Wald- und wilde Früchte &c. Notandum tamen ad hoc dubium eſt, eiſusmodi Ordinationes Banni ferini & Forestalis, eſſe duntaxat intelligendas de illis locis, in quibus Bannum ferinum & ius Foresti, ſtrichte ita dictum, uni domino competunt, & invicem connexa ſunt, de quibus Fritſch. *in Corp. Iur. venator. foreſt. part. 1. & 3. num. 24.* meminit. Aſt in illis provinciis, quas inter Patriae Noricae terrae cumprimis ſunt memorandae, ubi ius venandi & foreſti in ſylva Imperii Laurentiana atque Sebaldina, plane ceu iura diſtincta, extant, ſicuti nil inuſitatum eſt, ut alter Forestum, alter autem Bannum ferinum habeat, ceu adducit Roland. *de Commiſſar. part. 4. lib. 2. cap. 8. n. 43.* Meichner. *Deciſ. Cameral. lib. 2. decad. 2. num. 38.* ius glandes legendi, depaſcendi, prohibendi & concedendi, ſine dubio non Banni ferini, ſeu Venationis, Domino, ſed iuris Foresti Domino cohæret, huicque competit facultas ſylveſtres fructus, adeo in Banni ferini diſtrictum ex arboribus ſylvae propendentes, ſibi appropriandi. Befold. *Theſ. pract. voce: Forſt. & Wehner. ſub eadem voce: Forſt.*

XVI.

Ius glandis legendae quaesitum tam privatis, communitatibusque, quam alicui Principi, vel alii Domino territoriali, in loco, ubi vel privato, vafallo, aliique, vel Principi ac Domino territoriali,

E 2

ius

ius venandi competit, eo iustiori fundamento assignatum esse putandum, quo fortiori iure territorii ac proprietatis dominus arborum, quae pars fundi praedii-que sunt, nititur, ut dehinc facultas fructus decutiendi, vel sua sponte delapsos colligendi, proprietario sylvae omnino suppetat, prae Domino iuris venandi: non enim potest de hoc depraedicari, quod habeat ipse Dominus venationum in alieno praedium ac fundum proprium, in quem fructus sylvestres ex arboribus sylvae propendeant: cum potius ipsum ius venandi, eidem quaesitum, sit quoddam ius in sylvae dominio & proprietate ad instar servitutis, semper in alieno fundo constitutae, radicatum, licet ipsum ius venandi haud sit servitus, sed ius quoddam in re, multum a servitute discrepans, quandoque iuris eximii, quandoque iuris regalis nomine insigniendum, prouti competit vel mediato, vel immediato Imperii membro. Bocer. *class. 4. disp. 3. thes. 24.* & Echold. *ad D. tit. de Servit. praed. rust. §. 2.* ibique Schwendendörff. *in not. per tot.* nec porro est, ut quispiam hoc ius glandis legendae, proprietario sylvae quaesitum, pro minima & parum momentosa exputare velit: notum est enim, quantum die *Mastung* / sive ius faginandi, mit denen Eichen und Bucheln / utilitatis prae se ferat, quod sine dubio consecrarium est iuris glandis legendae: nam complures nobilium Inferioris Saxoniae, Holfatiaeque cumprimis, ex faginatione porcorum, summam aliquot millium thalerorum quotannis, si glandium ubertas adest, lucrantur, teste Sprenger. *in Delineat. Stat. Imper. p. m. 375. & seqq.* id quod etiam usus quotidianus satis comprobat ratione Hassiae sylvae,

fylvae, des Reicharte-Waldes / si glandis copia suppetit, quae annuatim bis centum millia porcorum faginare potest, quod emolumentum quoddam & reditum 30000. florenorum constituit. Klock. *de Aerar. l. 2. cap. 2. n. 27.* Meichsner. *tom. III. decis. cam. 9. n. 65.* Hucusque prolata de proprietate glandium, fylvae proprietario competentium, tametsi in districtum venatorium propendeant, non semper procedunt, tunc nempe, quando de fructibus istis aliud ius vel conventionem inductum, vel legitimo modo & tempore praescriptum extat, ita, ut istud, quod pacto, & praescripto usu longaevo, receptum ac perpetuo observatum fuit, eo casu attendi mereatur. Westenholz. *de Iurisd. forest. §. 77.* nec non Ant. Guil. Oertel. *in Prax. aur. de Iurisd. inf. civ. lib. 2. cap. 34. observ. 4.*

XVII.

Quod si autem Princeps vel Dominus territorii in sua sylva, civitati, vel communitati cuidam, ius faginandi simpliciter & generaliter concessit, non immerito disquiritur: num ius glandes, ex arboribus in concedentis proprietarii fylvae fundum propendentes, legendi generaliter & simpliciter concessum, sit intelligendum solummodo von der vollen Mast / oder aber von der halben Mast / si scilicet ubertas glandium non adest; vel etiam von der Nach-Mast / als welche von denenjenigen Wald-Früchten zu verstehen / so erst nach geendigter voller Mastung / nach der Hand von denen Wald-Bäumen abfallen? Ad hoc sane tenendum est, quemadmodum aliàs regula L. 3. D. de *Constit. Princip.* quod scilicet beneficia principum quam

latissime sint explicanda, ad materiam regalium non pertinet. Brunnem. *ad cit. L. 3. num. 6.* quia in horum concessione, quam minimum sibi princeps praecudicare voluisse praesumitur; Hinc est etiam in praesenti casu generalis concessio iuris saginandi, non de alia, nisi duntaxat de ubertate glandium, von der vollen Mast/ intelligenda, nec extendenda auf die halbe oder Spreng-Mast/ sive ius glandes, quarum ubertas deest, percipiendi, quemadmodum hunc in modum similis altercatio, zwischen den Cammer-Consulenten an einem/ des Rathes und der Stadt Aaken am andern Theile / a Regimine ducatus Magdeburgici decisa refertur a B. Stryk. *in Vsu mod. ad D. tit. de Gland. leg. §. 6.* verbis: Im übrigen kan kein Zweifel seyn/ wo der Landes-Fürst die Wild-Bann hat / (banno ferino nimirum late accepto, ut annexum habeat ius foresti,) wie in denen Aakischen Gehölzen quaestionis, zu denen Regalien gehöre/ der Rath aber und die Stadt Aaken/ in ihrem Beweise nicht ausgeführet / daß sie bey halber oder Spreng-Mast einige Schweine einzutreiben befügt; so sind sie sich dessen nunmehr gänzlich zu enthalten schuldig. Hoc decretum regiminis a Sereniss. territorii Domino per Rescriptum speciale, de dato Cöln an der Spree / d. 25. Nov. 1699. confirmatum fuit, id quod refert Herold. *Observ. forest. 14. in fin.* Hinc multo magis excipitur die Nach-Mast / als welche zu Erhaltung des Wildprets geschonet werden muß; aliàs autem, si adhuc glandes supersunt, potest vel Princeps, vel Dominus sylvae, pro suo arbitrio, aliis, pro certo, eiusmodi glandes superstites percipiendi ius, pretio elocare, ut determinato perco-

rum

rum numero, iidem fructus depascantur, et san nem-
lich also die Nach-Mast an andere überlassen. Stryk. *cit.*
tit. de Gland. leg. in Vsu mod. D. §. 6.

XVIII.

Porro indigitandae quoque a nobis sunt actiones
competentes, quibus, si quando fructus pendentes
in alienum, corrumpuntur, laeduntur, vel etiam aufe-
runtur, experiri domino eorundem licet. Si enim
fructus propendentes existunt in arbore communi,
posita in confinio, tunc, sicut arbor pro cuiuscunque
regione communis est, ita quoque fructus eius sunt
communes. *L. 49. §. 1. D. de Rei vindic.* hinc si con-
dominorum alter omnes percepit fructus, tene-
tur illos communicare alteri communi dividendo
iudicio. *L. 2. D. L. 20. & 19. D. Comm. divid.* Ablatis
autem eiusmodi fructibus a non domino, & quidem
animo furandi eos, nullus dubito, quin contra hunc
tam furti actio, quam condictio furtiva, radicata ex-
tent, ceu istud de actione furti expressim asseritur, tam
in textu *L. 7. §. Notavimus. 5. D. Quod vi aut clam.* ibi:
Caeterum, qui fructus aufert, furti debet conveniri. quam
in *L. 25. D. de Furt.* ubi ita ait Vlpianus: *Eorum, quae
de fundo tolluntur, utpote arborum, vel lapidum, vel arcae,
vel fructuum, quos quis fraudandi animo decerpserit, furti agi
posse, nulla dubitatio est. & §. 3. in verbis: Et qui in oli-
veto. l. de Obl. quae ex delict. nasc. ut & de condictioe
furtiva fatis clare id comprobatur L. 12. §. 5. D. de Vsufr. in
verbis: Si fur decerpserit vel desecuerit fructus maturos
pendentes, cui condictioe tenetur, domino fundi, an fructua-
rio? & putat, quoniam fructus non sunt fructuarii, nisi ab*

eo percipiantur, licet ab alio terra separentur, proprietario conditionem competere, fructuario autem furti actionem &c. Est enim modo memorata conditio irregularis, domino tantum competens ante perceptionem fructuum: nam horum dominium fructuario nondum acquisivit, ergo nec eidem datur isthaec conditio, tametsi conditio furtiva incerti, ob ius in re furtiva illi quaesitum, eidem deneganda non possit videri. arg. *L. 12. §. fin. D. de Condict. furtiv.* siquidem & huius interest, ob ius in re, fructus non esse furtivos, hinc dicendum omnino est, quod ad instar rei sub conditione legatae, dominium fructuum magis pendere, quam abesse censeatur, & ideo usufructuario accommodari posse utique conditionem talem, licet incerti, quia huic nihilominus cedunt fructus, quos propriarius per conditionem a fure recipere valet. *L. 12. §. 5. de Vsufr. & L. 7. §. 4. D. ad exhibend.* Nec minus actio ad exhibendum datur contra eos, qui eiusmodi fructus, super nostrum pendentes, decussos, mala fide consumunt. *L. 12. §. 3. ad exhibend.* in verbis: *Si quis ex uvis meis mustum fecerit, vel ex olivis oleum, vel ex lana vestimenta, cum sciret haec aliena esse; utriusque nomine ad exhibendum actione tenebitur: quia, quod ex re nostra fit, nostrum esse verius est.* Ratione fructuum autem, ex communi arbore proponentium, ablatorum, utrique condominorum vel actionem furti, praeter actionem communi dividendi, quae inter ipsos condominos locum habet, vel conditionem furtivam contra ipsum auferentem, nec non actionem ad exhibendum, imo etiam rei vindicationem locum sibi vindicare, omnino

omninò existimamus. §. fin. 1. de Obl. quae ex delict.
 & cit. L. 12. §. 3. D. ad exhibend. Quod si autem
 immaturi sunt submoti fructus, vel etiam maturi
 corrupti, sine dubio actione L. Aquiliae tenetur
 immaturos fructus auferens, vel maturos corrup-
 pens. L. 27. §. Si oliuam. 25. D. ad L. Aquil.

XIX.

Ratione fructuum autem, ex arbore non pro-
 pria in nostrum fundum propendentium, ablatorum
 maturorum, competit aduersus contrectantem actio
 furti. L. 27. §. 25. D. de L. Aquil. & L. 25. D. de Act.
 furt. ut & condictio furtiua, quia fructus propen-
 dentes ex aliena arbore in nostrum fundum uti-
 que nostri hodierno iure habentur, & nobis pro-
 prii sunt. L. 12. §. 5. D. de V. usufr. Quod si vero vicinus,
 vel alius, dolo malo, immisso pecore suo, eosdem
 consumserit, actio ad exhibendum datur. L. 9. in pr.
 D. ad exhibend. imò etiam actio in factum, si non
 dolo malo id contingit. L. 14. §. 3. D. praeser. verb.
 quemadmodum iam supra hosce textus, prima fron-
 te pugnantes, conciliandos & ad concordiam redu-
 cendos anticipavimus, ut dehinc istud heic prolixius
 repetere meritò supersedeamus, nos ideo ad §. IX.
 Capit. I. huius Dissertationis referentes. Quod si
 autem immaturi sunt adhuc fructus ablati, sine dubio
 L. Aquil. actio, est ideo, heic locum habet, quia
 hisce fructibus lucrari nihil potuit auferens, sibi que
 parum prodesse, sed tantummodo eodem ablatio-
 tionis facto nocuit, damnumque dedit, secundum
 L. 27. §. 25. D. de Leg. Aquil. ubi Vlpianus ita inquit:
 Si oliuam immaturam decerpserit, vel segetem defecerit

F

inma-

immaturam, vel vineas crudas, Aquilia tenebitur; quod si iam maturas, cessat Aquilia: nulla enim iniuria est, cura tibi etiam impensas donaverit, quae in collectionem huiusmodi fructus impenduntur. (Et hoc verum est, si fructus pendentes maturi quidem sunt deiecti, vel decussi, sed non collecti.) Si vero collectos adeo interceperis & abstuleris, furti tenetur. Octavenus in uvis adiicit: Nisi in terram uvas proiecit quis, ut effunderentur. Caeteroquin, si fructus pendentes duntaxat quis tangit, non tenetur, quia verbum *tangere* hic accipitur pro colligere: si enim fructus pendentes delapsos vel deiectos maturos colligit, plane nihil mali perpetravit, quia nil abstulit. L. 7. §. 5. D. Quod vi aut clam. Tenetur tamen, si collector interceperit, actione furti. L. 27. §. 25. D. ad L. Aquil. & L. 25. D. de furt. sicuti nec ille furti tenetur, qui vineam modo ingressus uvas comedit, quantum sibi placuerit. Deuteron. cap. 23. vers. 27. modo foras nil secum efferat, secundum textus verba: Ingressus vineam proximi tui, comede uvas, quantum tibi placuerit, foras autem nihil extuleris. addatur Num. cap. 27. in fin. & cap. 24. in fin. unde dominus quoque vitis ingressus in vicini fundum, in quod ramusculi vitis pendent, ex uvis eo propendentibus tantum valet decerpere atque consumere, quantum ipsi placet, modo tamen id non saepius ad invidiam & nocumentum, inque fraudem iuris, vicino in uvas propendentes competentis, nec prohibente eodem, id faciat. L. 13. §. 7. D. de Iniur. & L. 16. de Servit. praed. rust. Id quod iuris hospitii humanitatisque ratione admissum videtur, ita tamen, ut eadem quis haud abuti debeat, qualem speciem hospitalitatis erga peregrinos deprehendimus in tex-

tu 2. Feud. 27. §. 6. prope fin. in verbis: *Quicumque per terram transiens equum suum pabulare voluerit, quanto propinquius secundum viam stans, in loco amplecti potuerit ad refectiorem & reparationem equi sui, impune ipsi equo porrigat. Licitum sit etiam ipsi uti herba & viridi sylva; & sine vastatione aliqua quilibet utatur, pro sua commoditate & usu necessario.* Quod hospitalitatis atque civilitatis ius, erga peregrinos imprimis, nec Salvatore nostro displicuisse videtur, ceu constat ex Matth. cap. 12. v. 1. Luc. cap. 6. v. 1. & Marc. cap. 2. v. 23. Id quod Iuris Canonici placita, cap. Discipulo. 26. dist. 5. pariter sunt secuta.

XX.

Denique, praeter actiones commemoratas petitorias, circa fructus, propendentes in alienum, radicatas, nec possessoriae domino istorum fructuum in iure nostro defunt, nimirum, in casu turbatae decussionis vel collectionis fructuum propendentium, utile interdictum de Glande legenda, ne illi, qui horum fructuum propendentium dominus est, in exercitio iuris sui, eosdem deiiciendi, delapsosque colligendi, vis & impedimentum fiat. arg. L. un. de Gland. leg. Titius eod. tit. observ. 1103. ad *Lawerbach. Compend.* & ad tit. de acquir. rer. domin. 1020. Quod si autem quispiam ab exercitio sui iuris, fructus propendentes colligendi, adeo vi deiectus sit, huic absque dubio vel actione Spolii, vel interdicto unde vi &c. subveniendum est. cap. 12. X. de Restitut. spoliator. & §. 6. I. de Interdict. & L. 1. D. de vi & vi armat. Stryk. in *Vf. modern. D. eod. tit. §. 1.* Sed num interdictum de Glande legenda sit retinendae an recuperandae possessionis? superius, in §. VII.

Capit. I. in fin. late est a nobis explicitum. Haecce
 sufficient in praesentia de fructibus propendentibus,
 eorumque iure. Ter sanctum Divinumque Numen
 adsit porro & studiis nostris, & actiones nostras sua in-
 genti Clementia atque Gratia secundet. Fiat!

EN! a Cirve suo fructus Respublica multos
 Norica prae mittit tam sibi, quam Populo.
 Sensibus ex imis igitur de sorte benigna
 Gratulor, inque dies surgat ut illa, precor.

Haecce sinceri affectus declarandi causa
 gratulabundus apposuit

I. G. MILLER, Vlm. Oppon.

FRuctus pendentes fundi pars esse videntur,
 Tanquam quisque suos colligit hos dominus,
 Sed propendentes fructus in fundum alienum
 Cuius sunt generis? Proximus, ecce, capit.
 Quos largos fructus Themis alma recondidit in TE,
 Mi MVNKER! scriptum non sine laude probat.
 Sic moderante DEO, fructus producat in orbem
 Ingenium dives, fertilis instar agri.

Hiscæ Nobiliss. DN. RESPONDENTI, Amico suo inte-
 gerrimo, gratulabundus acclamat

ERNESTVS PHILIPPVS FEIN, LL. Cult. Oppon.

CVm TVA TE virtus ad sedem provehit altam,
 Est, quod mente pia gratuler ipse TIBI.
 Nunc & sacra Themis, docta plaudente corona,
 Augurio fausto fata benigna vovet.
 Sic TVA iam dignas laudes doctrina meretur:
 Sic fas ac iustum est, praemia pulcra sequi.
 Hinc gens docta bonos largo cum foenore fructus
 Sperat ab ingenio, DVLCIS AMICE, TVO.


Sic Nobiliss. ac Doctiss. DN. RESPONDENTI, Fautori atq; Ami-
 co suo aestumatissimo, de hoc specimine Acad. gratulatur

W. F. WINKLER, Oppon.

Pag. 5. lin. 1. leg. genitos.

Alt dort, Diss., 1727

X 238 91 90





To D. n. 8.

Fr. 3. num. 18

DISSERTATIO IVRIDICA
DE 1727, 4a

FRUCTIBVS IN ALIE-
NUM PRAEDIVM PRO-
PENDENTIBVS

Dom
Überhang der Früchte/
P. 119

QVAM

DIVINA FAVENTE GRATIA

PRAESIDE

DN. HENRICO HILDEBRANDO ICT.
SERENISS. DVCIS PALATINO-SOLISBAC.
NEC NON PERILLVSTR. REIP. NOR. CONSIL.
ATQVE ANTECESSORE PRIMAR.
ET PROF. SEN.

DOMINO PATRONO AC PRAECEPTORE SVO
EA QVA PAR EST ANIMI SVBMISSIONE
AETERNVM DEVENERANDO

PATRIA IN BERYTHO NORICORVM

H. L. Q. C.

ERVDITORVM VENTILATIONI
A. S. R. MDCCXXVII. AD D. XXX. APR.
SVBMITTET

BALTHASAR SEBASTIANVS MVNKER
NORIMBERGENSIS.

ALTORFI NORIC.

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.

KÖNIGLICHES
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK